

III.

NEOVIDENSIS

Nro 78. (*Neovidensis* Nro 101.)

Secretum litterarum commercium vivos inter, ac mortuos.

Epistola data ad Theophilum Benedictum Schirach hodie ad Campos elysios transeuntem..

Ex mundo superiore.

Ælysium -- Meum. -- Die Veneris 28. Dec. 1804. (Neov. 14. Dec.)

Volventi mihi hodiernas Ephemerides Hamburgenses de 8. hujus sub Nro. 196 tristis incidit in oculos nuntius, qui ita habet:
Altonavia 7. Decembris.

Hodie post exiguo tempore durantem infirmitatem vivere desiit vir multæ industriæ, Regis Daniæ Consiliarius, Theophilus Benedictus a Schirach, annos natus 60. Respublica amittit in illo meritissimum, & patriæ amantem civem, orbis eruditus acerrimi iudicii scriptorem, qui editis de diverso genere scientiarum operibus nomen suum immortalitati consecravit, amittit optima uxor ple-

nam amoris maritum, familia amantissimum, sollicitissimumque patrem, amici denique virum, cujus memoriam nulla unquam delebit oblivio.

Politicae Ephemerides, quas vita functus fere viginti quinque annis vulgabat, & quæ longe, lateque cum voluptate legebantur, porro quoque continuabunt in eadem Officina libraria.

Hic rumor me vehementer contristavit. Ergo tu dilectissime, optime senecio Schirachi! ex hujus vitæ labyrintho excessisti. Remunerator honorum Deus te ad se evocavit, attigisti metam, virtuti deditis paratam.

Sinamus rerum philosophicarum scriptoribus, aliisque nostris collegis honorem, doctria sua sensa explicandi. Tibi gloria debetur, Politicam, & Historiam esse locupletatam. Nobis placet utiliore materia, videlicet doctrina morum occupari.

Cui non sunt notæ Politicæ Ephemerides Hamburgenses? Quis ignorat sciolorum impetus, adversos tuis lucubrationibus? Schirachius, præclarus politicus scriptor, quem publicum magni fecit, probi Germani amaverunt, Patria admirata est, non existit. O integerrimi Theutones! vester numerus imminutus est. In paucis sane gravissimum damnum!

Nobilissime virorum! tuos politicos commentarios sera posteritas cum attentione le-

get.
Philo
bus
mod
cuno
face
quar
poru
rat?
insta
bant
mas
debe
ment
cund
aliar
plicit
uti a
ment
lecta
geniu
cujus
expro
persp
nerun
ption
se ac
exim
gener
perso
rum
borat

get. Historiam eorum temporum, quibus Philosophia specimen dedit suæ doctrinæ, quibus horror, & abominatio philosophiæ admodum regnabant, egregie descripsisti. Quicumque tristia hæc facta voluerit publici juris facere, lætus recurret ad tua scripta, tanquam ad fontem, & indubitata illorum temporum documenta. Ubi enim alibi ea quærat? In scriptis tunc temporis editis, quæ instar Vulcani ignem, & furorem evomebant? Nequaquam, in his enim non nisi flammæ inveniet, quas, ne consumatur, vitare debet. E contrario in tuis politicis commentariis reperiet rerum gestarum seriem secundum vera principia consignatam; statum aliarum Provinciarum ex earum utilitate explicitum, diversa bella, & pacis tractatus, uti acciderunt, expositos; varia magni momenti statistica scripta operoso labore collecta, judicium de editis libris depromptum; genium sæculi, & ut, quod res est, dicam, cujuslibet nascentis politicæ sectæ fideliter expressum, & ad genuina principia reductum; perspicaciam futurorum, quæ sæpe ita evenerunt, prout prædixisti; politicas descriptiones Regnorum, quid in illis quovis mense acciderit, & quas subierint mutationes; eximias designationes societatum civilium in genere, & in specie præclara singularium personarum facta; indigestam rerum novarum molem redactam in ordinem, & ita elaboratam, ut cuilibet lectori intellectu facilli-

ma evaserit. Cuncta hæc probant valorem, & prærogativam tuarum Ephemeridum, & omnia in illis inveniuntur. Quot possunt in medium adduci rerum novarum commentarii, qui semper fuissent vera principia secuti, qui se nunquam sivissent aliquo glaucomate abduci a recto tramite, qui semper bonum patriæ, & felicitatem Societatis præ oculis habuissent, quemadmodum tuæ politicæ ephemerides?

Inter scripta menstrua, quæ sæcunda eruditio tuo tempore dilectissime senex! excogitavit, tuæ ephemerides non tantum ab interitu servatæ sunt, sed omnibus palmam præripuerunt. Multi volebant tuis vestigiis insistere, sed vel adhæserunt, vel a recta via deflexerunt. In illis tantum libido scribendi augetur, qui suo ingenio elati, sibi que præfidentes occinunt: *Etiam ego sum piftor, etiam ego possum nova scribere.* Tales erant tui imitatores, & laudum tuarum obtrectatores. Sed eventus docuit, eosdem in ortu occidisse.

Tu placida usus es victoria usque ad mortem, & quas condidisti ephemerides politicas, eæ imposterum quoque unicuique Germanorum gratissimæ erunt, atque insignem procurabunt eruditionem. Hæc animi quies comitetur te in sepulchrum, ubi molliter ossa cubent.

Res novæ, quæ a morte tua contigerunt,

nond
pone
Dec.
cat
bris
xillu
nego
da
Aeg
Ana

tis
tiis
niss
goti
gab

alla
qua
offi
qua
sati
con
lex
ret
nan

scri

nondum videntur velle fluctus politicos componere. Officiosum folium Parisinum de 9. Dec. sequentem insperatam relationem publicat acceptam Constantinopoli de 25. Octobris: Montenigrini russicum assumpsere vexillum. Turcarum Imperator præcepit, ut negotiorum externorum Minister pro habenda consultatione invitaret russicum legatum. Aegyptus semper adhuc in perturbatissimo Anarchiæ statu perseverat.

Sine dubio nova isthæc rerum facies potis est Gentes inter se collidere. Jam Venetiis nuntiatur Gallicus cursor Neapolim advenisse, attulisseque gravissimi momenti negotia. Bellum præbabilius latissime propagabitur.

Ultimæ litteræ Constantinopoli 2. Nov. allatæ plenissime confirmant narrationem, quam Parisinus rerum novarum scriptor ex officio in hunc sensum facit: Earum rerum, quæ ex Aegypto referuntur, ratio nondum satis explorata est; ex eo tamen, quod commercium Constantinopolim inter, & Alexandriam, aliosque Aegypti portus perderet, colligere licet, pacem ibidem diuturnam futuram,

Novissimæ litteræ ex insulis maris Jonii scriptæ affirmant, multas legiones russicas

ex oris *Moreæ* esse in continentem translocatas, & regionem *Montenigrinorum* obsedis-
 eo obtentu, ut præveniant *Gallos*, eorumque
 consilia occupandi *Græciam* (qua de re vide-
 tur *Porta Ottomannica* esse informata) pe-
 nitus elidant.

Cum *Turcarum Imperator* de recogni-
 tione *Imperatoris Gallorum* suam voluntatem
 nondum satis clare significaverit, *Gallicus*
Imperii Mareschallus Brüne ante triduum ex-
 pedivit *Parisios* cursorem, qui referat, quem
 habuerit successum postremus ejus cum *Au-
 la Turcica* tractatus. Quantum conjectura
 assequi licet, præstolabitur *Constantinopoli*
 reditum cursoris, licet pleræque ejus res jam
 dimissæ sint *Parisios*.

Una etiam certiores sumus, *Portam Ot-
 tomannicam* suo *Parisiis* degenti legato *Ha-
 lebio Effendi* dedisse in mandatis, ut, quam-
 primum compertum habuerit, *Imperii Mare-
 schallum Brüne* *Constantinopoli* abivisse,
 ipse quoque *Parisiis* discedat.

Gubernium Reipublicæ Ragusanæ au-
 dito rumore, quasi *Imperantes extranei* in-
 tenderent, ejus territorium aliis *Provinciis*
 adjicere, adeo fuit perculsum, ut im-
 ploraverit patrocinium *Turcarum Imperato-
 ris*; at hic, ut *Ragusanorum* animos se-

daret
 com

de 3
 nio
 qui i
 quo
 culta

sit f
 ex s
 Fran
 Gall

bus
 dos
 tio p
 sive
 temp
 (8.
 tibi
 dit,
 terti
 Tres
 in s
 conc
 dita
 Maj

daret , propugnavit, totam narrationem esse commentitiam.

Ephemeridibus autem Mediolanensibus de 3. Dec. ista continentur: In Portu Telenio parati stant armati Galli numero 8000, qui in singula momenta expectant mandatum. quo jubeantur naves conscendere, faciuri occultam expeditionem.

Quanto denique in pretio, ac honore sit forma Imperii monarchica, abunde patet ex sequenti Oratione, quam Præses Senatus Franciscus Neufchateau coram Imperatore Gallorum dixit.

Augustissime Imperator ! Nullis limitibus constrictæ potestatis populorum præcipua dos consistit in jure suffragiorum. Nulla natio præter nostram hoc jus sive magis libere, sive magis ordinate exercuit inde a felici tempore, quo nobis dies 18. Brumarii mensis (8. Nov.) illuxit. Primus consensus populi tibi Imperii habenas in decennium concedidit, secundus ad dies vitæ; nunc demum tertio suam voluntatem manifestam reddidit. Tres milliones & quingentena millia hominum in superficie immensi territorii dispersorum concordibus animis determinarunt, ut hæreditarii imperii dignitas ad Inclytam Tuæ Majestatis familiam transferatur. Quapro-

pter Senatus, populusque Gallicus in eo plene consentit, ut sanguis Bonapartianus efficiat imposterum Dynastiam Gallicam, & ut novus thronus, quem Napoleon erexit, reddiditque celeberrimum, nunquam a posteris Tuæ Majestatis auferatur. Imperator! ecce vox populi, vox Dei. Senatus constituit adire Tuam Cæsaream Majestatem, ut eidem ex animo gratuletur, eidem sua obsequia, amorem deferat. Tua Majestas non tantum Imperii fines protulit, sed constabilivit etiam. A 40 Sæculis quærebatur, quæ sit præstantior Imperii forma, & per 40 sæcula habita est Monarchia tanquam specimen prudentiæ civilis, & humanæ felicitatis. Indigebat tamen in unitate personæ nonnullis libertatis principiis, quæ eidem sine damno adjungi poterant. Sacratissime Imperator! Inter viros, qui maximam in terris merentur gloriam, adnumerandi sunt conditores Imperiorum. Eversores eorundem non nisi maculam suo nomini inusserunt. Qui ea interire siverunt, sunt omnium ludibrium. Gloria illis, qui eadem restaurarunt, hi sunt auctores nationum. Hunc thesaurum Tuæ Cæsareæ Majestati ferimus acceptum. &c.